



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

fusio. In hoc stadio strenuum se Cursorem exhibuit Paulus, qui de se ipso. 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiae.* Tam felicitis curriculi causa quæ? Exponit ipse ad Philippen. 3. *Quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor.* Nimirum sicut stadiodromi, dum currunt, non respectant, quantum spatii transmiserint, sed quantum superfit ad metam, eoque toto conatu & impetu in cursu feruntur; ita Paulus ad metam propositam decurrebat, præteritorum obliviscens, & ad anteriora mentem, omnesque cogitationes intendens, non contentus prioribus operibus in virtute gestis, sed ad majora & excellentiora enitens. D. Gregorius hom. 3. in Ezechielem. Ante nos, inquit, æterna sunt, post nos temporalia. Quia & illa pergentes invenimus: & ista, recedentes, quasi post dorsum relinquimus.unc iter facimus, & ad æterna properamus: post mortem vel æternam beatitudinem, vel sempiternos cruciatus reperiemus. Æterna nos expectant; temporalia nos deserunt: illa sunt ante nos, quia ad illa tendimus; hæc post nos, quia illa relinquimus. Qui retro igitur respicit, ad temporalia oculos flectit; qui ea, quæ à fronte sunt, intuetur, is æterna contemplatur. Et hoc, juxta Tullium, est *Cursum vita tenere*, Nimirum salubriter destinata persequi, & ab incepto virtutis tramite non deflectere. Exiguum namque, ut idem ait, vitæ curriculum nobis natura circumscripsit, immensum gloriæ.

SYMBOLUM LIX,

Laomedon perjurus,

11. *Metamorph. Homerus in Iliad.*

Ethicè.

1. A Deo operum primordia capiendæ. 2. Perjurii pœnæ. 3. Sacrilegium punitum.

Læomedontem, Ili filium, Trojanorum Regem, novam urbem in Phrygiæ littore molientem, cum opus ingens tardè succederet, adeunt Neptunus & Apollo, humano tecti schemate, suamque illi addicunt operam. Amplectitur is lubens oblata obsequia, & pro labore, certum

tum auri pondus paciscitur. Opere, celerius opinione, perfecto, Laomedon juramenti immemor, & promissæ pecuniæ, mercede pactâ structores defraudat. Illi indignati, novam urbem duplici affecerunt calamitate, Neptuno inundationem, Apolline pestem immittente. Percontatus Oraculum Laomedon, responsum accipit, aliâ ratione deos placari non posse, quàm si quot-annis Virgo Trojana, quam fors declarasset, ceto devoranda exponeretur. Post annos aliquot, Hesionem eius filiam, Priami sororem, fors prædidit. Objicitur hæc monstrò æquoreo, suo interitu paternum scelus expiatura. Hercules eò fortè delatus, miseratur innocentis vicem puellæ, cetum occidit, Virginem morti eripit, ea quidem conditione, ut equi, quos Laomedon habebat præstantissimos, in præmium sibi navatæ operæ traderentur. Negat promissos equos Laomedon. Hercules plenus irarum, & impatiens injuriæ, collecto exercitu *Ilium* invadit, urbem capit, diripit, regem fœdifragum, homines pariter ac Deos ludos facientem, jam bis perjurum, interficit. Hesionem *Telamoni*, *Æaci* filio, uxorem dedit, quòd primus murum conscendisset. Priamum quoque eius filium captivum abduxit, qui postea auro à vicinis redemptus fuit, ideòque ἀπὸ τοῦ πειρασμοῦ, hoc est, à redimendo, nomen obtinuit.

Ethica.

I. (a) Rectè Tullius in Vatinius ait, *Magnarum rerum principia à diis immortalibus duci.* Unde illa: *à Iove principium, auspice deo, juvantibus superis.* Laomedon urbem structurus, meritò Deos adhibet operis artifices. Manca est enim omnis mortalium industria, omnisque conatus, nisi divinus aspiret favor. Psaltes canit regius psal. 126. *Nisi Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverant, qui edificant eam.* Experti hoc sunt structores illi Babylonii, quorum insanas molitiones, non ferro, non flamma, sed diverso linguarum flatu DEUS dejecit. Experti Jerichuntini incolæ, quorum muros, quamvis altissimos & firmissimos, tubarum sonò divina potentia stravit. Nimirum operum primordia, progressus, exitus, sunt à Deo auspicanda, cum Deo finienda. Equidem urbs illa primò *Ilium*, postea *Troia* vocata, ad tantam gloriam, ad tantas opes ascenderat, ut totius Asiæ caput diceretur, meritòque credi posset, non humanis eam exstructam esse manibus, sed vim aliquam divinam eius primordiis intervenisse.

X x 2

II. (b)

(a) *A Deo primordia operum capienda.*

I I. (b) Talem & tantam urbem, quam *Pietas* ædificavit, *Perfidia* deiecit.

----- Columen eversum occidit
Pollentis Asia, cœlitum egregius labor.
Everfa est Pergamos, incubuit sibi,
Et alta muri decora congesti jacent. Seneca in Troiad.

Et Maro 2. Æneid.

Hic ubi disjectas moles, avulsæque faxis
Saxa vides, mistoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros, magnoque emota tridente
Fundamenta quatit, totamque à sedibus urbem
Eruit.

In causa periurium Laomedontis; de quo Venusinus lib. 3. Od. 3. Junonem loquentem inducens

----- Ilion, Ilion,
Fatalis, incestusque Judex
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destruit Deos
Mercede pacta Laomedon.

Bis fidem fefellit rex fraudulentus, primum Neptuno & Apollini ob non solutam mercedem: Deinde Herculi ob denegatos equos promissos. Sed magno stetit perfidiosa lingua auctori suo, nam Neptunus e-luvionibus, Apollo pestilentia, Hercules armis in habitatores grassatus est, & subsequente tempore regia familia, urbs, & regnum totum à Graecis eversum. Verè Horatius.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Et quæ perfidè dicta, factæque sunt, in seram posteritatem supplicium extendunt. Nihil indignius est Principe, quàm mentiri. Aristoteles dixit *Mendactum esse servorum*. Est enim abjectissimi animi, fallere, & venalem habere fidem. Juxta Isocratem: Omnis principis sponsio pro jurata esse debet, & sacrosanctum promissum. Et Prov. 17. *Non decet Principem labium mendax*. Fides, Justitiæ fundamentum est, inquit Tullius in offic. Et seneca epistol. 49. Fidem sanctissimam humani pectoris bonum vocat; unde non audiendi pseudopolitici

Quis nec ara, nec fides, nec ulla firma pactio est, ut ait Aristophanes. Qui impiam illam vocem ex Euripide, etiam à Julio Casare usurpatam, recoquunt.

(b) Perjuris pœna.

----- 116

----- jus regnandi gratia

Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Et dux ille Græcorum scelestè; qui, *pueros juglandibus, viros jurejurando falli oportere, dixit.* Cicero pro Roscio: Perfidiosum & nefarium est, inquit, fidem frangere, quæ continet vitam & commercium hominum. Monet Silius non reges tantum, sed quosvis alios

----- ne rumpite fœdera pacis,
Nec regnis postferte fidem.

Sensit ultionem perfidiæ Laomedon cum omni progenie sua; potestque cuilibet perjuro occini illud *Æneid.* 4.

----- Nescis heu perditæ, necdum
Laomedontæ sentis perjuriam gentis?

III. (c) Mythologi docent occasionem huic commento, idè datam, quòd Laomedon pecuniam, horum Deorum sacrificiis destinatam, & consecratam, ad commodum suum, atque adèd ad ædificandos urbis suæ muros converterit, nec eam (id quod se facturum receperat) Sacerdotibus restituerit. Calamitates autem, quibus ob id sacrilegium multatus est, aliud nihil significare, quàm divinum cultum haud impunè negligi. Magnoperè hoc notandum sacrilegis, templorumque spoliatoribus. *Heliodori*, templi Solymæi inuasoris, supplicium, cui non lectum vel auditum est: 2. Mach. 3. Et nota est parœmia: *aurum Tholosanum.* Nam cum *Tetbosagi*, gens Gallica, duce *Brenno*, Delphos incursassent, & Apollinis templum exspoliassent, se in patriam suam Tholosam (Tholosam scribunt alii) receperunt; exinde pestilentia atrocissima eos invasit, quâ non prius liberati sunt, quàm aruspicum responsis moniti, aurum, argentumque sacrilegio quæsitum, in Tholosensem lacum mergerent. Et hi, & alii, quicumque à rebus sacris non abstinere manus violentas, miserè perierunt. Observanda hîc sententia Senecæ epistol. 87. *Sacrilegia minuta puniuntur: magna in triumphis feruntur.* Intelligè de tribunali hominum, non superum.



X x 3

SYM-

(c) *Sacrilegium punitum.*